

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disquisitio XL.

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente,

JOHANNE STEPHANO RICHARDI

Longo-Salissa Tyrigeta.

Dominica IX. post Trinitatis.

A. O. R. cl. lxx. iiii.



HALLIS SAXONUM

*Prelo Heredum Melchioris Oel-
schlegely*

Dr. Hoff

VIRIS

Reverenda dignitate gravissimis, edecumata eruditionis penitus Præstantissimis, virtutum splendore, adeoque vite sanctimoniam honoratissimis

Dn. M. CHRISTIANO MÜLLERO, Ecclesiæ Hallensis ad D. Mauritii ædam Antistiti quàm vigilantissimo, Confessionario nullo non honoris ac amoris affectu prosequendo, æternum suspiciendo.

Dn. M. JOHANNI BENCKERO, ejusdem Ecclesiæ Diacono, Seniori ibidem ut metissimo, ita dilectissimo.

Dn. M. JOHANNI SCHUDERO, Gellingensis ac Rotlebiensis Ecclesiarum ψυχαιώνων fidelissimo.

Nec non

Ampliss. Præcellenti ac Doctissimo, Humanitatis laude politissimo

Dn. JOHANNI CHRISTIANO TENZELIO J. U. L. Greussenati patricio maximè conspicuo.

Singulis Patronis, Musagetis, Promotoribus, Evergetis, ac Pautoribus suis jugiter omni serenioris honoris magnifice mandandis

Hasce disputatorias primitias velut ulterioris studii fomitem libare ac litare gestit

Joh. Steph. Richardi Resp.



ANALYSIS

EVANGELII

DOMINICA IX. POST TRI-
NITATIS.

Luc. 16. à vers. 1. ad 10.

Πελοπίου.



Avid 1. Sam, 25, 11. postquam expertus Nabal ingrati avaritiam, in eum ducit armatam manum, atq; ipsum cum tota domo ipsius interemisset nisi ab uxore Nabalis precibus ac donis victus, ipsaq; iram eius justam lenisset: At Dominus in prodigum bonorū suorum vindicaturus, ita ipsiusmet solertia flectitur, ut ei omnia lubens condonaverit. Interea tamen rationem villicationis ab ipso poposcit; quemadmodum illud ipsum uberius in Evangelio Christus proposuit.

T THE-



THESIS I.

In quo habetur partim parabolæ commemoratio, ubi occurrit personarum commendatio, nempe tùm patrisfamiliâs; ubi est accusatio. v. s. 1. In quo summam quoad causam efficientem: Dicebat autem. Nempe Christus, qui egerat de ἀπολάσῳ, & sub imagine fratris ejus murmurantis perstrinxerat Phariseos, quod malè illi agerēt cum peccatorib. publicis: & quod valdè etiam periculosum sit, magnas opes affectare, cùm magnus sit abusus opum, quia reddenda ratio.

2. Quoad objectum: Ad discipulos suos. Ut qui erant erudiendi, quia cum avaram etiam unum discipulorum haberet secum, ambirentq; filii Zebedai, & ut ad Messie dextram & sinistram sederent, peterent. Querebat etiam Petrus, quid mercedis esset, quod deseruisset omnia? Judas fur erat. Ideoq; illos informabat. Ut discamus itidem nostros informare, ne simus de alienis solliciti secundum monitum Pauli 1. Corinth. 5, 12. malum de vobis tollite.

3. Explicatim, quoad subjectum ab accidente descriptum: Homo quidam erat dives. Est autem parabola è medio vitæ genere de-

re desumpta. Nam principes suos habent praefectos; Civitates suos consules; Nobiles suos villicos, mercatores suos ministros; & Deus suos ministros ac homines, qui se diviti confert, dum eius est terra. Psalm. 24, 1. & caelum Psalm. 115, 10. cuiusq; pedibus omnia subjecta sunt, Psalm. 8, 9.

4. Quoad praedictum conjunctim: Qui habebat dispensatorem. Uti solent divites. Et intelliguntur omnes omnino homines, qui varia gratiae administratores constituuntur 1. Peti. 4, 10. Quid enim habet homo, quod non acceperit? 1. Cor. 4, 7. Nam omnis parabola obliquo & figurato modo, inquit Theophylact. in Lucam. rerum quarundam naturam manifestat, non per omnia rebus illis assimilata, propter quas assumpta est. Tantum igitur utilitatis & ex presenti parabola capere oportet, quantum possibile est. Et ut aliquid dicam hoc loco, Dominus vult nos docere; ut bene dispensentur credite nobis divitiae. Et in hoc discimus, quod non sumus divitiarum Domini; nil enim habemus proprium, sed sumus dispensatores alienarum rerum, quae à Domino nobis concredita sunt, ut illas bene dispensemus, sicut ille imperat. Ergo nos omnes sumus Dei dispensatores, quoad bona naturae,

quoad bona fortuna, quoad bona gratia. Igitur non sunt bona propria. Deus vero dispensator suarum divitiarum nos vult, non dominos; inquit Chrysoft. Hom. 12. in Matth. An forsan, inquit Idem, Hom. 78. in c. 24. Matt. tua credis te habere? res pauperum tibi credita est, etiamsi hereditate paternâ in te pervenerint.

5. Distinctim describitur ab accidente, in genere ab accusatione: Et hic delatus est apud Dominum. Deus enim habet oculum vigilantem, Psalm. 11, 5. Quin delatus est ab angelis bonis, Tob. 12, 15. Hebr. 1, 14. à malis Apoc. 12, 15. 14, 16. à proximis afflictis Exod. 22, 23. Deuter. 25, 9. à propria conscientia Rom. 2, 15. à peccatis propriis in cœlum clamantibus, Gen. 6, 13. 18, 20. ab omnibus creaturis Rom. 7, 22. Oportet igitur eum esse fidelem, cui ministerium commissum est, inquit Thomas à Kempis c. 1. §. 2. de dispensat. Sed & prudentem nihilominus, ne videatur errare: Fidelem enim in commissis esse oportet, ne res negligat, ne malè custodiat, & ne quicquam, quod utilitati & communitati prodesse possit, depravetur per ipsum, sed magis piâ curâ emendetur. Ideoq; spe occultationis nemo peccet, cum Deus videat, Sir. 23, 28. ut timeamus quia Deus est totus oculus, quia omnia videt;

det; & totus pes, quia ubiq³, inquit Augustin.
Epist. 3.

6. In specie ab effectu: ut qui dissiparet bona ipsius. Per socordiam & ignaviam, per luxuriam & lasciviam, per ambitionem & superbiam. Atq³ ita non omnis rumor est contemnendus, sed interdum audiendus, & inquirendum secundum eum.

7. Et rationis postulatio. v. 2. In quo citario: Et vocavit eum. Ab omnibus enim Deus exigit rationem: ideoq³ omnes citat, i. gratiosè per internam inspirationem, quando autore Spiritus S. in mentem nostram divino verbo deditam incidunt bonæ cogitationes de arduis peccatis. Uti publicano contigit Luc. 18, 13. 11. Per verbi predicationem, qualis legitur citatio Osee 4, 1. 3. per variarum calamitatum multiplicationem. Sunt enim adhuc etiam ea signa gratiæ 1. Cor. 11, 12. vel est citatio Domini ex iracundia & iustitia, quando Deus impedit in medio cursu peccatorem; ut Nabalem, 1. Sam. 25, 38. Cainem Gen. 4, 23. Ananiam & Sapphiram Act. 5, 5. Neq³ in decreto illo die quis emanere poterit.

Et accusatio summam per interrogationem: Quid audio de te? Neq³ enim

T 3

quis.

quisquam inauditus est condemnandus, neque
omnis rumor est negligendus.

9. Sigillatim quoad factum: Redde
rationem dispensationis tuæ. De omnibus
enim collatis bonis ratio reddenda est Rom.
14, 10. Equidem omnes tenentur 1. Magistra-
tus an sint nutriti Ecclesie Esa. 49, 23. an cu-
stodiant legem, & omnia, quæ in ea sunt, man-
data faciant Jol. 1, 8. An puniant blasphemos,
Lev. 24, 16. An vindicent malos, & tueantur
bonos, Rom. 13, 3. 1. Petr. 2, 14. Reges enim à re-
ctè agendo vocati sunt. Ideoque rectè faciendo
regis nomen tuentur peccando minimum Isid.
Pelus de hom. 60 lib. 3, c. 48. Ecclesie deinde
Doctores, an populum doceant Malach. 2, 7.
an loquantur eloquia Dei Petr. 4, 11. An
gregis curam habeant 1 Petr. 5, 2. Debet enim
divinarum scripturarum doctor, habet Au-
gust c. 4. l. 4. de doctrina Christian. defensor
rectæ fidei esse, & debellator erroris: Debet bo-
na docere, mala verò dedocere; & in hoc opere
sermonis conciliare aversos; remissos erigere,
nescientibus quid expectare debeant, intimare.
3. Præceptores, an fideles fuerint 1. Cor. 4, 1. an
ad iustitiam erudiant multos Dar. 12, 3 4. Pa-
tres familiæ, an filios educent in timore Domi-
ni Eph. 6, 4. An suorum curam habeant, &
domum

domum de pane, potu, & opere prospiciant Sir.
29,28. Paucis: omnibus dicitur illud: redde
rationem villicationis tue.

10. Quoad officium: Non potes am-
plius dispensare. Sic ergo mali administrato-
res non tolerantur. Neq; enim tolerandi sunt
tales in bonis diu, sed repudiandi, & excluden-
di, ne amplius grassentur in bona.

11. Tum dispensatoris commenda-
rio, quæ colligitur ex deliberatione, ubi ejus
consultatio, v.3. In quo efficiens causa; Ait
autem dispensator infra se. Id est secum deli-
beravit, & sollicitè cogitavit, uti solent homi-
nes, qui planè sunt imprudentissimi, & impu-
dentissimi.

12. Et forma per addubitationem & in-
terrogationem: Quid faciam? Quæ vox ti-
moris est, inquit Glossa, & Hugo in c. 8. Jer.
ubi ait: Dic o homo gratia invitante quid fe-
ci? ne dicas poenâ imminente: quid faciam?
Querela enim Dei quotidiana in omnibus; &
nullus est, qui poenitentiam agat super peccata
sua, dicens: quid feci? omnes conversi sunt ad
cursum suum, quasi equus impetu vadens ad
prelium. Interim tamen laudanda est ipsius
prudencia & laboriositas.

13. Et per rationem: Quia Dominus au-
fert

fert à me dispensationem. In tempore itaq; deliberat, ne postmodum esuriat.

14. Per responfionem de labore: Fodere non valeo. Quia laboribus non erat assuetus, sed otio, quod tamen omnes corrumpit; Ignaviam sanè omnis infelicitatis matrem arbitrari, inquit Nilus Dec. 10. parænet. 4. Bona enim, qua habes depredatur: ad eorum vero qua non habes, possessionem te nunquam admittit.

15 De pudore: Mendicare erubesco. Et sanè pudor est, praesertim validis & sanis, mendicare. Melius est mori, quam mendicare inquit Sir. 41, 16. Et mendicantis est miserabilis conditio: si petit, rubore confunditur; si non petat, egestate consumitur, & tamen ut mendicet, necessitate compellitur.

16. Et domini defraudatio. v. 4. In quo consilii notitia: Scio quid faciam. Non enim ignarus fuit prudentia humana, qua sollicita magis de temporalibus, & sustentatione, quam de spiritualibus, & justificatione. Simulq; invidetur, dispensatoris oportere esse varias versutias & astutias, ut quod si hac non processerit, ut inquit ille, aliam tentet viam. Oportet quidem esse fidelem, cui committitur ministerium, inquit Thomas de Kempis c. 1. §. 2. sed
& pru.

Et prudentem nihilo minus, ne videatur sapius errare, sed in ipsis rebus pro tempore Et personis distribuendis sapere. Imò in tempore convenit dare, quod alio tempore licet negare. Talem te cupio fidelem in opere Et prudentem in consilio.

17. Et circumstantia temporis quoad remotionem: ut cum amotus fuero à dispensatione. Hoc enim metuebat, quia malè administraverat. Neq; enim concedendum, ut malè dispensatores diu grassentur in bonis.

18. Quoad receptionem: Recipiant me in domos suas. Debitores scilicet domini, quemadmodum ex seqq. patet. Uti enim noluit fodere, vel mendicare; ita noluit incertis sedibus vagari, ut solent erronei, qui omnibus hominibus sunt molesti.

19. Et colligitur ex executione, ubi in liquidis debitorum est convocatio. v. s. In quo per effectum citatio: Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, Nullum itaq; intentatum reliquit, sed omnes corrupit; qui tamen comparuerant, duorum sic mentio. An cæteri etiam eius ingenii, non facitè presumitur. Sunt enim Et honesti, Et bonæ fidei debitores, quamvis pauci.

20. Et exploratio: Dicebat primo: quantum debes Domino meo? Arguit hoc

T s

ipsurus

ipsum negligentē, & ignavum fuisse dispensatorem, qui quarit ex debitore, quantum debeat, ubi ipse hoc scire debuisset, si, uti prudens, fidelis fuisset.

21. Et depravatio v. 6. In quo debitoris responsio: Et ille dixit, 100. batos olei. Est autem batus (Cāt̄) liquidi mensura, continens septuaginta duos sextarios; Sextarius autem fere libra est vel canthari pars dimidia.

22. Et dispensatoris defraudatio: dixitque illi: accipe cantioem tuam, & sedecito, & scribe 50. Detraxit igitur in alimentum suum, dimidiam partem debiti. Et si una libra 3. grossis veniat, erit unius bati pretium, 9. unciales, remisitq; ita summam 450. uncialium. Id citò vult fieri quo discamus festinare, Sir. 5, 8. dum tempus habemus, Gal. 6, 10.

23. In aridis itidem mutatio. v. 7. In quo dispensatoris interrogatio: Deinde alteri dixit: Tu verò, quantum debes? Neq; enim sufficere videbatur ad sustentationem, quoad potum, verum etiam voluit quoad cibum.

24. Et communicatio, continens debitoris responsum: qui ait: 100. coros tritici. Corus verò continebat 10. modios Atticos, & Lipsienses seu 20. Hallenses. 25. Et

25. Et dispensatoris mandatum: Et dixit ei: accipe cautionem tuam, & scribe 80. Ubi prudentia dispensatoris denuò notatur, dum noluit uerum detrabere dimidiam partem, ne tam facile deprehenderetur furtum; sed quintam partem detraxit. Interim tamen, si corus ualeret 10. unciales, viginti cori essent 200 unciales. Atq; ita plus voluit ad possum, quàm ad cibum. Videtur itaq; lurco. Aliàs solent plerunq; dispensatores expensas facere, quo videantur benefici erga quosdam, & interea iam sunt fures discamq; tamē, Deo non placere ex rapinis sacrificia 1. Sam. 5, 21. Esa. 26, 8. Est enim quasi qui immolat filium Sir. 35, 23. Unde Augustinus inquit serm. de diuite: Nolite facere eleemosynas de fœnore & usuris: de laboribus manuum uestrarum dandum 2. Thess. 3, 12. fontes nostri debent fluere foras, Prov. 5, 16.

26. Partim habetur Christi (vel potius diuitis dispendium passi, deprehensâ prudentis villici fraude, ut uult Strabus Fuld. in gloss ordin) encomium, ubi est dispensatoris iniqui laudatio. v 8. In quo absolutè est commendatio dispensatoris in genere: Et laudavit dominus iniquum dispensatorem. Nempe illum dispensatorem, de quo parabola

bola

bola narratur, iniquum. Ità saepe quis laudatur certo respectu, qui minimè laude dignus.

27. Et in specie: quod prudenter fecisset. Atq; ita laudavit non bonitatem, non pietatem, inquit Gaudentius Brixienſis Epiſcop. ad Germ. de villic. iniquitat. part. 2. orthodoxol. non equitatem, sed astutiam, & callidam prudentiam villici iniquitatis, quòd dolum summe subtili nequitia concinnasset. Laudat tamen minaciter simul & prudenter: minaciter dum ipso iniquitatis vocabulo pessimam prudentiam damnat; prudenter dum discipulos suos inſeruat. Et Ambros. l. 8. c. 16. Lucæ. licet peccaverit, tamen quia sibi in posterum ex indulgentia domini quaesivit auxilia predicatur, ut imitemur prudentiam, non perfidiam, emulemur astutiam, non sectemur nequitiam.

28. Et comparatè per rationem quoad minus: Quia filii hujus seculi prudentiores sunt: Hoc est de hoc mundo, qui laudant omnia, que in terra lucrosa sunt, habet Theophyl. in Luc. Verba que sunt Christi, reddentis præcedentis laudis rationem, illudq; judicium approbantis.

29. Quoad majus: super filios lucis in natione sua. Per quos metaphoricòs intelli-
gun

guntur renati & illuminati, qui ita nominantur ob regenerationem, quam habent à Patre luminum, Jac. 1, 17. à Filio, luce illà magnà, Joh. 1, 9. à Spiritu S. qui lucis spiritus. Naturà quidem sumus filii iræ, & tenebrarum, Eph. 5, 8. Sed in genere suo sunt illi cautissimi, vigilantissimi; Hi verò in bonis suis improvidi, remissi, languidi. Hoc igitur dicit, Theophyl. habet, quia homines humanis dispensationibus perfecti omnibus modis curam habent & provident ut cum destituti fuerint à dispensationis munere, consolationem habeant; quia filii lucis ordinantur, b. e. quibus concredita est spiritualis dispensatio, non cogitant, quomodo post hanc vitam commodum percipiant. Filii itaq; seculi hujus, quibus humane dispensationes concredite sunt, & in generatione sua, i. e. in vita sua prudenter dispensant res suas. Filii verò lucis secus faciunt, qui pecunias receperunt, ut illas in pios usus dispensent. Invenimus itaq; in humanis dispensationibus si res nostras prudenter dispensaverimus, etiã si administratione exciderimus, habeamus quoddam refugium vite. In his autem rebus, quæ debent secundum Deum dispensari, nullam videmur gerere curam, quomodo rationem dispensationis reddamus, ex hac vita educti, ne invenia-

nia-

niamur ab omni consolatione destituti. Ergo magna stoliditas est, integrum insumere diem ad lucrandum florenum, quem fures eripere possunt, & vix unam horam insumere ad consequendum aeternae vitae thesaurum. Magna stoliditas est, in lecto molli praecuris dormire non posse, & in scamnis duris ad rhonchos usque stertere; magna stoliditas est alere scribas plures qui debita exigant, & nolle alere scholarem, qui praeterea preces pias fundat.

30. Tùm est applicatio. v. 9. In quorùm causa efficiens: Et ego vobis dico. Ut nimirum applicet parabolam ad scopum.

31. Tùm forma, ubi Christi mandatum continetur tum obiectum: Facite vobis amicos. Id est conciliate vobis benivolentiam, siue sint pauperes, siue sint etiam alii; potissimum tamen sint egeni, sub quibus etiam Christus intelligitur, qui in mundo fuit pauperrimus.

32. Tùm & medium: Ex mammona iniquitatis. Ubi per metonymiam cause efficientis intelliguntur divitiae: ac si diceret: amicos vobis pauperes facite de terrenis facultatibus, quas iniquitas humana avaritia sibi vindicat habet Gaudentius. Et Tertull. l. 4. c. 33. adversus Marcion. inquit: Mammonem, quem intelligi velit, si interpretem quaeris.

ris, aut non habes, ab ipso potes discere; admonet nos de secularibus, suffragia nobis prospicere amicitiarum. Nam an ignores, quarit Lactant. l. 6. Instit. c. 12. quot periculis, quot casibus cum his malis opibus subiaceas? Quae tecum bene agent, si sine cruore tuo transierint; Tu vero praeda onustus incedis, & spolia geris, quae irritant etiam tuorum animos. Quid ergo dubitas bene collocare id, quod forsitan tibi eripiet, aut unum latrocinium, aut repente existens proscriptione, aut hostilis aliqua ereptio. Iniquitatis vere mammon vocatur, quia plerumque male acquiruntur divitiae, non quia aurum & argentum injustum, habet Ambros. Psalm. 118. Sed injustum est, eas putare divitias, quae avaritiae non auferunt egestatem; Et quia non bene dispensantur, nec dantur pauperibus, ait Theophylact. serm. 30. Hoc autem quidam male intelligendo, rapiunt alienas res, & aliquid pauperibus largiuntur, inquit August. serm. 35. de verb. Dom. & putant se facere, quod praeceptum est; dicunt enim: rapere res alienas mammona esse iniquitatis. Intellectus iste corrigendus, imò de tabulis cordis omnino delendus. Et si propterea rapis, ut miseraris, habet Chrysoft. Hom. 36. quod magnum sit, nil pejus hac elemosyna; cum enim

extra-

ex rapina nascitur. hoc elemosyna non est; Savitia quedam est ac crudelitas. h. e. in Deum contumelia. Et si suarum deteriora Cain offerens Deum offendit, aliena offerens, quomodo non offendet? Propterea elemosyna facienda sunt, inquit August. l. 21. de Civ. Dei. c. 27. cum de preteritis peccatis deprecamur, ut exaudiamur, non ut in eis perseverantes licentiam male faciendi nos per elemosynas comparare credamus.

33. Et finalis causa ubi tūm tempus: Ut cūm defeceritis. Id est cum relietis omnib. ex mundo nudi egrediemini 1. Timoth. 6, 7. Prov. 13, 16.

34. Tūm modus: Recipient vos in aeterna tabernacula. Id est sit 1. piis precibus pro beneficiis. 2. testimonio publico, in extremo iudicio. Matth. 25, 34. Non per se sed ipsos, ait Gaudet. recipient vos pauperes, sed per eum, qui in illis obedientia & fidei fructu reletur. Omnes enim in hoc incolatus hospites sumus; ad tempus habitandi habemus hospitium, inquit Ambros. l. 1. de Abrah. c. 5. Saviis ergo tibi esse consultum, ait Salvian l. 4. cont. avarit. sint tua facultates alimenta miserorum, sit opulentia tua pauperum vita, & illorum refrigerium praemia tua, ut illorum refectio

te reficiat. Si enim illi de tuo comederint, saturaberis; si illi de tuo biberint, tu sitis astum ardoremque restingues; te illorum vestis vestiet: te illorum apricitas delectabit. O artem igitur omnium artium questuosissimam! ait Chryl. Hō. 33. ad Pop. Antioch. Sanè Eleemosyna has calceamenta nobis non conficit, neque vestimenta contraxit, neque has luteas domos edificat, verum aeternam vitam ministrat, ex mortis manibus eripit, & in utraq; vitâ claros exhibebit, mansiones in cœlis edificabit, & aeterna illa tabernacula parabit.

35. Omnia tamen ex promisso, non debito, uti August. Epist. 105. ad Sixt. declarat, ubi inquit: omne bonum meritum nostrum, (h. e. factum, quo impetramus vel consequimur promissa gratuita premia) non in nobis faciat, nisi gratia: Et cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quam munera sua. Sicut enim ab initio fidei misericordiam consecuti sumus, non quia fideles eramus, sed ut essemus: Sic in fine, quod erit in vitâ aeternâ, coronabis nos, sicut scriptum est: in miseratione & misericordia.

V NOTE.

NOTE.

R Edde rationem villicationis tuay
Confidera villicū esse unumquemq;
nostrum bonorum creditorum; ut discas,
reddendam esse rationem de iisdem, quia
non sunt nostra bona, sed Dei.

II.

F Acite vobis amicos) Confidera
Eleemosynas esse modum conciliandi
amicos; ut discas, eleemosynas elargiri.

III.

R Ecipiant vos) Confidera Deum
magnifacere eleemosynas exhibitas
pauperibus propter nomen suū; ut discas,
pauperes amare & iuvare.



CASUS.

An fama sufficiat ad accusa-
tionem?

Non



Non videtur: 1. Quia Christus ipse inquit: accusatores tui Joh. 8. 11. ubi unde nec Christus mulierem voluit condemnare sine accusatoribus ibidem.

2. Adversatur l. rescripto 6. §. 2. ff. de muneribus & honoribus. & l. divus Hadrianus 6. ff. de custod. exhib. reorum.

III
Judicia debent constare tribus personis, auctore, reo & iudice, l. inter litigantes 62. ff. de judiciis, c. forus in omni quoque negotio X. de V. signif.

IV
Contra hic in textu habetur 1. Quid audio de te? ubi ex auditu vocat & damnat. Luc. 16. 2.

2. Jura volunt ut praeses provinciae inquiret in fures & plagiarios etiam l. 13. ff. de officio praesidis.

3. l. 7. C. de accusationibus quod ea, quae denunciantur citra solennia accusationum possint perpendi, habetur.

V 2

4. Fa.


4. *Fama publica hodie est loco accusationis, ut olim Irenarchæ & Stationarij erant l. 6. §. nunciatores. 3. ff. ad senatus cons. Turpil. l. 4. Gode curiosis & stationariis. & l. 1. §. 24. ff. ad Sctum Sill. c. 16. X. de accusationib. Carpzov. in Rescriptis. Finckelth. 1. obs. 7. n. 6. Tuschus c. 192. Alias delatores non sunt admittendi in benè constituta Republica Alex. ab Alex. 4. genial. dierum 22. Crusius 1. Indic. c. 2. n. 12. sciens tamen delictum, si sit obstrictus ratione necessitudinis arg. l. n. 2. 3. ff. ad L. Pomp. de parric. vel potestatis, ut servus arg. l. 1. §. 18. l. 3. ff. de Scto Sill. vel mutue obligationis ut subditus & vasallus, aut ratione officii, ut prelati & officialis, revelare tenentur.*

Ad contraria: 1. Fal. secundum quid. Noluit Christus condemnare quia non ejus officii erat, ut ageret judicem politicum, ad quem causa ista pertinet, etiam quia non venerat in mundum, ut judicaret, sed ut salvaret, &c.

Ad

Ad 2. Ulpianus non vult ut puniatur, ante delatus, antequam convictus & interim arceri ab honorib. vetat l. 7. ff. de manorib. & honorib. & l. unic. C. de re- is postulant. Videatur Volzium com- ment. de inquisitionib. n. 98. Altera lex vult, ne statim in archis credamus, sed ut ex integro audiatur, & omnia accuratius per vestigetur rei veritas, l. singuli. 14. C. de accusatione.

Ad 3. est petitio principii; nam fa- ma habet vicem actoris & lex ipsa accu- sat, arg. legis virtus. l. 13. ff. de LL.



CASUS II.

An rationem teneamur omnes reddere?

Non videtur. Quia hic postulatus ra- tionis reddenda, sed non prestitit, de- precatus. Matth. 18, 26.

hA 2. Quia

2. Quia testamento remitti potest, dum quilibet est arbiter rerum suarum. In re mandata. C. mandati etiam in abutende. l. sed si lege. §. consuluit. ff. de perit. heredit. & l. cum necessitate. C. de fidei comis. l. quidam decedens. ff. de administ. tut.

3. Consuetudo habetur pro lege. l. 32. ff. d. LL.

Contra 1. Hic vult paterfamilias ut rationem reddat Luc. 16, 2.

Jura volunt, uti habet Boëtius in tractatu de decima tutori præstand. c. 1. n. 154. Roland. consil. 49. n. Menoch. lib. 2. de arbit. cent. 2. cas. 209. n. 1. Munozius de Escobar. de ratiociniis c. 1. n. 5.

3. Tenetur rationem reddere, præter tutorem. l. 1. §. officio. ff. de tutelis; negotiorum gestorem. l. 2. ff. de negotiis gest. factorem Barbatia consilio ultimo dub. 4. servum. l. nec omne. C. de jure de lib. socium. Socin. conf. 17. hospitalarius Molinaus in conf. Paris. tit. 1. §. 6.

§. 6. glos. 6. n. 5. *Capitulum Rubens*
 cons. 131. n. 13. *Consules Socinus* cons.
 73. *Episcopus* in l. nulli. C. de *Episcop.*
 & *Cleric.* etiamsi *summus pontifex* fue-
 rit *Ludovicus* decis. 4. n. 4. *Roman.*
 cons. 414. *Decius* in cons. 90. vers. cir-
 ca secundum. *Adeo* ut nec *prescribi* pos-
 sit, uti *habet* *Munotz.* c. 5. n. 27. *Dam-*
hud. in *patroc. prol.* *Carpzovius* *Re-*
ponis lib. 5. t. 8. Rf. 69. n. 15.


Ad contraria 1. *Fall. causa.* Hoc
 fieri potest, quia *quilibet* est *arbitrarius*
plurim. in *re man.* C. *mandati.*

Ad 2. *Ruinus contrarium* asserit
 cons. 54. n. 12. *Covarruv.* l. 2. *varior.* c.
 14. quia *quod favore publico* *introducitur*
privatorum *actionibus* *remitti* non po-
 test, l. *quidam.* ff. de *administ. tut.* licet
scrupulosa *curiosa*q; *inquisitio* non fiat. l. *si*
servus vetitus. ff. de *legat. 1.* *Decius*
 cons. 192.

3. *Consuetudo* non *omnis* *probat*ur,
sed rationalis. Est q; *potius* *facti* *quam* *Ju-*
ris

ris. Quod ad legem cum necessi. attinet. ibi non remittitur necessitas administrationis futurae, sed peracta tempore legati liberationis. Videatut Munoz. d. l. c. 4.

Quin rationib. etiam non ritè calculatis denuo ratio reddi debet, nec quietantia data subleuat. Mascard. conclus. 12. c. 6 n. 16. Menochius quidem contrarium existimat c. 209. n. 37. verior tamen est Mascardi doctrina per tex. in l. sub pre-
 textu 29. §. error. 1. C. de transact. & l. si post divis. C. de Juris & facti ignor. Schul. in addit. ad Pistorum. part. 3. q. 126. n. 67. Petrus Heg. p. 1. q. 20. n. 36. Vivius l. 2. decis. ult. n. 39. Bald. l. 1. Cens 336. Gravac. Conf. 1. 10. Plot. de in litem juram. Gutierrez. de juram. Confer. c. 7. p. m. 3. n. 1. Suid. decis. 239. Carpz. d. l. resp. 69. n. 17. l. 5. tit. 8.



Ille satis dives, quisquis bene collocat omne,
Sic, ut & eternas possit habere domus.

Id simili dixit Iesus: homo dives habebat

Oeconomum, sed qui dilapidabat opes.

Hinc vult delatum rationem reddere, dicens:

Oeconomus porro non potes esse meus.

Cogitat hic: quid nunc faciam, dum munere
privo?

Mendicare pudet, vertere rastra piget.

Quia faciam novi, si quando sede remotus:

Alter ut excipiat, prebeat alter opem.

Unumquemque vocat Domini qui debitor: in-

tongi dicitur: fit:

Tu Domino debes qualia quanta meo?

Hic centum connas olei: cui dixit at ille:

Tu quinquagenas scribe, notaque statim.

Ac alii quantum tu? centum farris: & idem,

At octoginta scribe, notaque cito.

Hunc laudavit herus, seculi quod filius huius

Sit prudens, lucis filius usque minus.

Christus ait: Vos mammona faciatis amicos,

Coelica quo Vobis post habitacula duint.

Suscipiaris ut in caelos per, amicus, amicos

Tu fac amicitias dives in orbe prius.

Talia REICHARDUS proponit. Talia praestet!

Dives eritque solo, dives eritque polo,

optar

GUEINZIUS.

IS bonus œconomus, qui dona à Patre profecta
collocat, ut par est, Christus & ipse docet:
Qui malè ne præsit, quavis ratione cavere,
vela nec officij deseruisse, solet.

Hoc benè pensulans, rationem redde tuorū
factorum iusti iudicis ante thronum.

Qui bona legitimos sua semper vertit ad usus,
proq; suo modulo templa Scholasq; iuvat.

Hoc Stephani Reichardi disquisitio mōstrat:
pergat! ei dabitur pulchra corolla polo.

Lm̄q; f. Christianus Rüdiger Gym.
Hall. Coll. Quartus.

אֲשֶׁר לֹא טוֹב בְּיַד הַיְדֵי
וְאֵן מְצוֹת אֲדוֹן צַפֵּר
עַל לוֹתֵינוּ חֲשׁוֹן יִתֵּן:
לְמַעַן עֲשִׂיר הוּא מִן
בְּאִמְרַתְנוּ רַב לָנוּ:
וּכְי רַחֲרַת הוֹרָה לָנוּ:

Joh. Heymericus N. S.



Τοιούτων δή πρὸς ἑφ' ἀνίξεται αἰτιῆ
Οἱ ἀπ' ὕδασι μὴ θωθ' ἀλογίαν σελάειν
Τὸ δρᾶσθαι ζητεῖν Σε θόσος φάινεσι παρόντες
Στ' ὕδην! Φιλ' οἴχη' ἐνδελεχῆς μὰ κλέθ.

Joh. Melchior Starckloff
Erffurt. Thuring.

COELENZERS

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017

EVANG.

CHRIST.

HALL.

Q2.C





Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

ITIAM
ELICARUM

quisitio XL.

RÆSIDE

NO GUEINZIO

nasii Hallensis

Rectore

spondente,

EPHANO RICHARDI

-Salissa Tyrigeta.

IX. post Trinitatis.

R. cl. lcc. III.



LIS SAXONUM

idum Melchioris Oel-

schlegely

Dr. Kurz

